



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E.
Doctoris Vita**

Lancilottus, Corneille

Antverpiæ, 1616

Cap. IV. Legatione fungitur ad Imperatorem Honorium contra Donatistas:
quibus reducendis etiam Episcopatum eis cedere paratur erat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42857

*Vbi oves, ibi
pastor.*

bus abesse, propter ea damna, quæ solent
Episcoporum absentiam subsequi. Et cum
amicus quidam obnixius eum rogaret, vt
Carthaginem proficisceretur, quâ in vrbe
complures Episcopi moram trahebant: re-
spondit ille, non ita se liberum à negotiis &
expeditum esse, vt tempore abundaret; sed
neque sibi dignitatem Episcopalem obti-
gisse, vt subditorum curam negligeret: quin
& amplius vereri, quantamuis adhiberet
diligentiam, ne supremi iudicij die negli-
gentiæ argueretur. Addebat, Carthaginem
salutem haud posse conferre, neque Pro-
consulis curiam apud Deum excusare Epi-
scopum illum, qui Ecclesiæ propriæ curam
remisisset. Egrediebatur tamen subinde, vi-
delicet cum non ambulandi cupido, ve-
rùm Conciliorum indicta dies, aut com-
mune Reipub. bonum, aut mutua caritas
iter suscipere suaderent.

CAPVT IV.

*Legatione fungitur ad Imperatorem Hono-
rium contra Donatistas: quibus reducendis
etiam Episcopatum eis cedere paratus erat.*

QVARE inualescente hæreticorum fe-
ritate, ipse cum aliis Orthodoxæ com-
munionis Episcopis ad Imperatorem Ho-
norum legationem contra Donatistas ac-
cepit;

cepit; qui multis iniuriis, ac præsertim SS. librorum exustione Catholicos diuexabant. Legationis autem hæc erat summa: Quandoquidem amicis hortationibus huc vsque nihil vel exiguum promouissent, vellet Imperator hæreticorum genus peruicacissimum seueris legum pœnis coercere. Quod cum non difficilè impetrassent, & Imperatoris edicto prohiberentur bonis suis heredem aliquem instituere, nec omnino possent testamento aliquid donare vel acquirere, adeoque contrahere cum aliquo veteretur; adhæc exilio ceterisque id genus pœnis multarètur; eorum non pauci, seueritate legum compulsi, Donatum valere iubètes, ab Orthodoxis steterè. Quam etiam ob rem ipse Augustinus, qui prius senserat hæreticos ad religionem cogendos non esse; mutatâ sententiâ, tum ipsis tum schismaticis benè consulere docuit Catholicos Principes, qui pœnarum & legum grauitate, tamquam camo & freno maxillas eorum confringunt. Quamuis enim præfractè quidam ex eis resistant, tamen *magna populorum agmina, vera mater in sinum gaudens recipit; & ubicumque gentium duriora sub initium Catholici pertulère supplicia, linguæ videlicet, oculorum, manuum, & vitæ iacturam, ibi feruentius Christiana vnitas profecit, &*

Augustin.
Epist. 50.
ad Bonifac.

Psal. 31.

Epist. 50.
ad Bonifac.

laudatur Dominus, qui dedit ut serui eius
 passionibus lucrarentur fratres suos, & oves
 eius mortifero errore dispersas extra cœtum
 communionemque Innocentij Romani
 Pontificis, in pacem salutis aeternæ suo san-
 guine congregarent. Conati sunt nihilomi-
 nus eorum nonnulli (quæ pessimorum ho-
 minum sunt ingenia) in invidiam vocare,
 quæ iustissimè fuerant ab Imperatore de-
 creta. Nec defuere qui dicerent, Honorij
 leges auaritiam olere, quod ipsius edicta
 bonorum proscriptione continerent. Con-
 tra quos Augustinus, non res eorum, sed
 eos se querere dicit. In cuius rei testimo-
 nium Crispino Donatistæ, nec non aliis
 quibusdam cum illo damnatis hæreseos,
 iussisque pendere in multam x. auri libras,
 à Principe indulgentiam impetrauit. *Viri-
 nam*, scribit, *Catholici fiant, & non solum
 quæ dicunt sua, sed etiam nostra nobiscum in
 pace possideant*. Ardenti namque emenda-
 tionis eorum affectu inæstuans, optabat
 talibus Episcopis ad veritatem Catholi-
 cam reueris, etiam suummet Episcopatum
 cedere: quod eius operâ diligentiaque sic
 persuasum fuit Concilio ccc. Episcopo-
 rum Religionis Catholicæ, ut vix duo sen-
 tentię eius refragarerent: *Quid, inquit, dubita-
 mus Redemptori nostro sacrificium istius hu-
 milia-*

Lib. de ge-
 stis cum
 Emerito,
 circa me-
 dium.

militatis offerre? an verò ille de calis in humana membra descendit, ut membra eius esse- mus: & nos ne ipsa eius membra crudeli diuisione lanientur, de cathedris descendere formidamus? Si serui utiles sumus, cur Domini aternis lacris pro nostris temporalibus sublimitatibus inuidemus? Neque id mirum cuiquam videri possit, cum is Episcopali dignitate non ad suum vnus commodum, sed ad vtilitatem populi fungeretur.

CAPVT V.

Inter Episcopatus molestias anhelat ad quietem monasticam, fratresq; Eremitas subinde leuaminis causâ inuisit.

INTERIM anhelabat frequenter ad gratissimam quietem, suauissimasque solitudinis, quam tunc reliquerat, delicias; tum propter mille negotiorum molestias, tum propter tanti muneris sarcinam laboriosam, de quâ rationem strictam Deo redditurum se nouerat. Ita se fatetur affectum Serm. xxiv. De tempore, Domin. iiii. Aduentus, quâ die fuit initiatus: sic & in Confess libris: *Conterritus peccatis meis & mole* Li. 10. Cō-
miserie mee, agitaueram in corde, meditatús- fell. c. 63.
que fueram fugam in solitudinem. Atqui dum in hac deliberatione versaretur, reuocatus est hac Domini voce: *Ideò pro omni-*